

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5805

Auteur(s) : Jumièges, Saint-Pierre (abbaye, abbé)

Bénéficiaire(s) : Gautier Megremeins [particulier]

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1240

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Notice sur un différend survenu entre Gautier Megremeins et Gautier Pigot arrangé au Vieux-Verneuil dans la cour de l'abbé de Jumièges.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1869, t. 3, p. 156-157.

Dissertation critique

Vetus Vernolium : Vieux-Verneuil, paroisse existant avant Verneuil et y réunie en 1791.

Texte établi d'après a

Anno millesimo ducesimo quadragesimo, cum contentio esset apud Vetus Vernolium in curia domni abbatis Gemeticensis inter Galterum Megremeins et Galterum Pigot, qui ratione consanguinitatis jure hereditario petebant a Guillelmo Præposito de Capellaria totam præfecturam suam, illam videlicet, quam idem Guillelmus cum filia defuncti Gaufridi Præpositi in maritagium habuerat, et in veram possessionem a tempore nuptiarum suarum usque ad annum prædictum præfecturæ ejusdem fuerat. Dicti Galterus Megremeins et Galterus Pigot intendentes a dicto Willelmo dictam præfecturam per judicium fori sæcularis extorquere, dictus vero Guillelmus dictam præfecturam defendere cupiens et jus suum, inierunt per duos bellatores singulare certamen. Bellatoribus autem ineuntibus insimul ad pugnandum, a parte dictorum Galterii Megremeins et Galterii Pigot, Guillelmo dicto Malo Clerico : a parte autem dicti Willelmi Johanne dicto Saul, per finale duellum declaratum fuit et recognitum præfecturam antedictam ad sæpeditum Guillelmum et filios suos ex dicta filia dicti Gaufridi genitis jure hereditario integre pertinere, bellatore dictorum Galteri et Galteri dejecto et se pro devicto confesso. Duellum autem illud factum fuit in pratis quæ sunt inter ecclesiam Sancti Martini de Veteri Vernolio et manerium dicti abbatis, in terra et feodo ejusdem abbatis, ubi edictum judicarium, sicut mos est, in duello de cogendo assistentes sedere pacifice circa campum vel circulum pugnantium, exclamatum fuit et nuntiatum alta voce cujusdam servientis dicti abbatis, nomine ejusdem abbatis, tacito prius et posterius omni nomine cujuslibet judicis sæcularis, præsentibus multis. Et memorandum est quod statim post finem duelli pars bellatoris devicti persolvit dicto abbati sexaginta solidos et unum turonensem pro devictione sui bellatoris. Item pars bellatoris devicti per judicium curiæ dicti abbatis solvit bellatori vincenti sexdecim solidos Turonensium pro qualibet plaga, in qua fuit fracta cutis ad sanguinem : quod in perpetuum pateat universis.